

Johann Sleker Valentin Legdaeus

Disputatio Secunda De Malo Verbis Dionysii ...

Rostochii: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729136477>

Druck Freier  Zugang



F. Slevor.
B. U. phil. 1613.

217

D. T. O. M. A.
DISPUTATIO SECUNDA

DE MALO

VERBIS DIONYSII
de divin. nom. c. 4.

PROPOSITA

à

M. JOHANNES SLEKERO

Ph. P. P.

RESPONDENTE

VALENTINO LEGEDEO
Suerinensi Megap.

Maebitur disputatio in auditorio Philosophico 30. Januarij.



ROSTOCHII

Typis exscripsit Joachimus Pedanus

ANNO M. DC. XIII.

DE MALO

NEBST BILDMÄSSIGEN

M. JOHANNES SIEKRO



ROSTOCHI

Typographi Johannis Lehmann

ANNO M. DC. LXXII

DISPUTATIO SECUNDA.

*Utrum malum causetur ex Bono? quomodo malum esse possit,
existente providentia? Quomodo mali sit desiderium?*

THESES I.



Alterum ut summam dicam, Bonum ex una totaq; causa *Unum prin-*
proficiscitur: malum autem ex multis particularibusq; de- *cipium, si-*
fectibus accidit. Cognoscit autem Deus malum per bona: *delicet bo-*
atq; apud eum causa malorum, sunt effectrices bonorum *num.*
vires.

2. Si vero malum sempiternum est, adeoq; est, fabri- *Contraprin-*
cat, potest & facit aliquid; unde nam hæc ei? Num ex se? *cipium Ma-*
an ex bono? an bonum illa habet (*habet enim*) ex malo? An vero utriq; (*prin-*
cipio) hæc competunt ex alia causa?

3. Omnino quod est secundum naturam, ex certa definitaq; causa nascitur. Malum autem si causam non habet, nec definitum est, nec est secundum naturam. Neq; enim in natura est, quod est contra naturam. Nec in arte, ratio est illius, quod accidit præter artem.

4. An igitur anima est causa malorum? quemadmodum ignis calefaciendi principium? atq; omnia ad que accesserit, malis implet?

5. An potius bona quidem est anima natura: actionibus autem aliis ita affecta est, aliis non item? Quod si enim per naturam mala est anima, essentia etiam ejus mala est. Sed tum, undenam natura habet essentiam? Nunquid ex bona causa omnium conditrix? Id si concedas, quonam tum modo per essentiam mala est? Hujus enim omnes effectus boni.

6. Si autem per actiones anima est prava: ne hoc quidem immutabile est. Alioquin, undenam virtutes anime provenirent, & bona facta? Reliquum igitur est, malum esse debilitatem quandam defectionemq; à Bono.

7. Bonorum causa una est. Si bonum malo est contrarium, mali cause multe sunt. Non tamen mali efficientes, sunt facultates aliqua & vires, sed impotentia & infirmitas, atq; incongrua quædam permixtio dissimilium.

8. Mala nec immobilia sunt, neq; semper eodem modo se habent: sed infinita & indeterminata: atq; in alijs, usq; infinitis aliter feruntur.

9. Malorum omnium principium & finis, est bonum. Boni namq; gratia, *Malum non*
omnia tum bona, tum contraria sunt. Nam & mala facimus appetentes bonum, *habet pro-*
Nullus enim malum spectans, quæ facit aggreditur. *prius prin-*

10. Quapropter neq; substantiam malum habet, sed præter substantiam, *cipium aut*
existens, substantia nititur aliena: Utpote quod ne sui quidem sed boni duntaxat *finem,*
gratia perpetratur.

▲

Statua.

11. Statuendum ergo Malum esse per accidens, atq; propter aliud, nec ex principio proprio. Itaq; cum peragitur, forte rectum quidem esse videtur, quia boni gratia geritur. Revera tamen rectum non est: sed quod bonum non est, opinamur bonum.

12. Demonstratum est, quando malum agitur, aliud quidem esse quod optatur, aliud quod agitur. Malum igitur est quod deflexit à via; quod contra institutum & propositum; contra naturam; præter causam, præter principium; à fine, à termino, à voluntate ab hypostasi deslebens.

13. Itaq; Malum, est privatio, defectus, imbecillitas, aptæ compositionis vacuitas, error: proposito, pulchritudine, vita, intellectu, ratione, perfectione, fundamento, causâ destitutum: Interminatum, sterile, iners, imbecillum, confusum, dissimile, infinitum, tenebrosum, essentiâ carens: Ipsumq; nullo modo, & nusquam & nihil existens.

14. Quonam ergo pacto malum quicquam potest? Sola inquam boni permixtione. Quod enim omnino bono vacuum est, neq; est aliquid, neq; potest quicquam. Etenim si Bonum est & existens, & appetendum, & validum & efficax; quonam modo Boni contrarium [aliquid poterit? Quippe cum essentiâ, voluntate, potentia, actione, sit captum.

15. Non omnibus omnino eadem, & secundum idem, mala sunt. Dæmoni quidem malum est, quod Intellectus ejus à benigna mente deflexit, Animæ, quod à ratione; corpori, quod à natura.

Quomodo
malum, ex-
mente Pro-
videntia.

16. Quonam modo, cum sit providentia, omnino mala sunt? Malum quidem, qua ratione malum, nec existens aliquid est, nec in existentibus aliquid & nec quicquam extra providentiam est in rebus. Neq; enim malum existens aliquid, permixtionem boni non habens.

17. Jam vero si nihil in rebus boni participatione caret; malum vero est defectio quædam à bono: resq; nulla boni prorsus est expertis; providentia divina cuncta comprehendit, nihilq; providentiæ gubernatione deseritur.

18. Sed his quoq; qui mali fiunt, providentia bene utitur, ad aliquam videlicet vel ipsorum, vel aliorum, sive privatam, sive communem utilitatem: proprieq; singulis rebus consult.

19. Itaq; inconsideratum vanumq; multorum verbum non probamus, qui ajunt, oportere providentiam invitos etiam ad virtutem impellere. Neq; enim providentiæ est, naturam interimere & tollere:

20. Imò vero qua ratione est providentia, est uniuscujusq; naturæ servatrix. Ea ergo, quæ appetitionibus suis libere moventur, libere etiam gubernat. Universa autem & singula accommodat, quatenus eorum quæ providentia reguntur, natura capit universæ providentiæ beneficia, unicuiq; pro modo suo distributa.

Malum

21. Malum igitur nec est aliquid existens, nec est in rebus existentibus aliquid. Malum enim nusquam existit, qua ratione malum. Nec fieri malum, potentia alicujus est, sed impotentia potius. *Malum est, bonum proprium non habere.*

22. Nempe Dæmonibus hoc ipsum quod sunt, ex bono, atq; bonum est. Malum autem quod eis ex prolapsione à proprijs bonis contigit, est & ejusdem status habitusq; mutatio: quodq; perfectionem angelicam sibi convenientem, ob infirmitatem propriam, non impleverint. Appetunt illi quidem bonum, dum esse, vivere, intelligere diligunt: Rursumq; non appetunt bonum, dum quod non esse desiderant. Quod tamen non est appetere, sed à vera appetitione potius aberrare.

23. Eos autem in cognitione delinquentes sacra vocant eloquia, qui in cognitione boni, quæ latere non potest, aut in effectione imbecilles infirmi; sunt: tum eos qui voluntatem quidem noverunt, neq; tamen faciunt. Qui audierunt quidem; infirmi vero sunt circa fidem aut operationem boni. Nolunt etiam nonnulli intelligere ut bene agant, propter depravationem aut imbecillitatem voluntatis.

24. Atq; ut summarim dicam, malum imbecillitas, infirmitas ac privatio est, aut scientia; aut scientia, quæ latere non potest; aut fidei, aut appetitus, aut actionis boni.

25. Dixerit hinc aliquis, infirmitati ergo supplicium non deberi, sed veniam? Quæ quidem honesta esset oratio si non licuisset posse. Sin autem ex ipso bono vires suppeditantur; quod omnibus (ut divina litera docent) simpliciter ea, quæ cuiq; accommodata sunt, tribuit; non est ignoscendum, si quis per ignaviam, ab ipso bonorum priorum habitu divinitus procedente, aberraverit, diverteritq; & profugerit atq; ceciderit.

26. Verum hæc in libris de justo, divinoq; judicio satis à nobis exposita sunt. Et hic satis pro viribus celebratum est Bonum, ut revera admirandum, ut principium finisq; omnium; ut eorum que sint, complexus; ut speciei formæq; eorum, que non sunt efficiens; ut bonorum omnium causa; ut mali nullius causa; ut providentia & bonitas perfecta; quæq; tam ea quæ sunt, quàm quæ non sunt, superat; & mala bona facit suiq; privationem: Omnibus expetendum, amandum & diligendum. *Epilogus.*

Summa disputationis hujus de malo.

Ex Thoma Aquinate.

Quædam ex disquisitione de Bono, recolligens Dionysius, movet dubitationes de Malo; tum in specie, de spiritibus malis; tum de malo generatim.

Quoad Dæmones; quatuor quaestionibus rem agit. 1. Cur bonum non desiderant? (si Entia omnia bonum appetunt) sed ad res materiales inclinentur?

A 2

(Ita

(Ita vocat honores ab hominibus exhibitos demonibus, sacrificiorum nidores, & alia, quibus ad inferiora sese fleunt, cognato sibi bono relicto.)

II. Cur non sint conformes suo formatori in bonitate? Si dicas bonos esse factos, sed bonitatem versam esse in malitiam: Est quaestio III. Quomodo naturaliter bonum mutari possit in malum? Et quia omne quod fit, ab aliquo fit, quaestio oritur IV. Quanam causa fecerit demonem malum?

De malo in communi, quaestio prima est Quid sit malum universaliter?
2. Ex quo principio processerit. 3. In quonam existentium reperitur malum.
4. Quid potuit desiderare malum, praetermissio desiderio boni.

Et reversus ad quaestionem secundam, de causa mali quaerit, An sit Deus, an aliud? Si Deus, quaeritur 1. quomodo Deus bonus, voluerit producere malum? 2. quomodo potuerit? Si vero malum ex alia causa; quomodo essendi aliquid principium praeter Deum? Aliud etiam exurgit dubium, de providentia. Hujus enim cum sit, prohibere malum; quomodo malum fieri potuit salva providentia? quomodo non statim est destructum?

Summa inquam haec est: cui discursum adjuimus, & notas breves, ex Ambrosio Oratore, Thoma, Ficino. Et primo, ad disputationem primum.

AD THESIN I.

Vis amatoria, ex primo bono luminis instar per omnia profluit, refluitque circulariter in ipsum bonum. Pertinet haec Plotini illud de lumine, quod ex sole perpetuo dependens, eum ubique comitatur, ac versus solem undique se reflectit. Ita, cum Deus sit ubique & in omnibus, amor etiam quo Deus se ipsum aliaque omnia diligit, ubique est. Dum vero se ipsum aliaque amat, amorem cunctis accendit, quo Deum, seipsa, & alia diligant. Qui amat, necessario pendet ex primo, quatenus illinc oritur, conservatur, & movetur. Unica autem vis illa, quae ex primo bono suspensa & in seipsa residens, ad primum reflectitur.

Th. 2. Platonium hic facile agnoscas in duplici *non Ente*, materia nimirum & Deo: ut illa sit Ente inferior; hic superior, *ὑπερστικὸς ἄλογος ἢ ὑπερστικὸς λογικός*; de qua disputatione alibi: hic satis est, si inclinationem materiae ad formas perspectam habeas; quae boni appetitum etiam in materia testatur. Forma enim bonum est: & informi materiae praestantiam conciliat. *Πρόσωπον* vocat Daemonum turbam: sive quod aërea quaedam corpora, post peccatum daemones sint induti; ex sententia Platoniorum, & quorundam Graecorum; sive quod rebus materialibus, id est, honoribus & cultu hominum, vel nidore sacrificiorum delectentur.

Th. 3. Ratio est talis. Omne ens reale & per se, aut est causa aut causatum.
Malum

Malum per se, neq; est causa, neq; causatum: Ergo. Ex bono, nisi bonum, non est. Naturalis enim cuiusq; agentis intentio hæc, simile sibi pro viribus generare. Nec unum contrariorum, est causa alterius per se. Per se inquam, nam per accidens etiam calidum, est frigidæ causa. Quod autem essentiam habet, & in Entium numero est, ejus debet esse causa per se.

Th. 4. Quod est de propria ratione boni, non potest competere malo. Sed producere & salvare, est naturale bono, ipsaq; generatio & conservatio, res bona est; E.

Th. 5. Quicquid est ipsa sua essentia tale, id etiam tale secundum se totum. Et e contra. v. g. si aliquid sit per essentiam bonum, erit & totaliter bonum, & ipsa bonitas. Quicquid enim participat bono, dividitur in participans & participatum; adeoq; totaliter bonum non est. Quæ si ad malum revocentur, patet, siquidem malum non est essentia vel quid per se existens, id etiam quod malum dicitur, (v. g. diabolus) non erit totaliter malum, sed aliquam partem obtinet boni, quatenus videlicet obtinet essentiam. Et sic qualibet res essentia suæ ratione, seu quatenus ens, bona est: mala autem quatenus deficit &c. Hinc illud toties à Sanctis patribus inculcatum, malum esse in bono, adeoq; nullam rem physice vel moraliter aded malam esse & denominari, quæ ratione Entitatis bona non sit.

Th. 6. Et sic aliqua res, per naturam bona, per defectum mala, bonum optare potest. Omniaq; per appetitum convertuntur ad bonum. Nemo tam malus (inquit Orator) ut esse velit. Et Seneca: Neminem reperies qui non nequitia præmijs sine nequitia frui velit. Optabit ille, cui grassari, & transcentes percutere questus est, potius ille invenire quam eripere. Quod non facerent, nisi illos honesti, & per se exoptandi amor, cogeret moribus suis opinionem contrariam querere. & nequitiam abders, cujus fructus concupiscitur, ipsa vero edio pudoriq; est. &c. Hoc argumento nobis sit, ex Bono, entia omnia processisse. Ideoq; bonum, esse universo Ente superius; quemadmodum quod super omnia corpora, non est corpus, ut hic ex Schola Platonica loquitur Ficinus, & idem insinuat Dionysius. Sed anne tum quod est super omnia una & bona, etiam possit esse unum & bonum?

Th. 7. & 8. De primo Bono, cum dicitur *Non ens*, negationem hanc in affirmationem quandam mente resolvimus: nempe quod sit quippiam Ente superius. At cum de malo prædicamus *Non ens*, negatio resolvitur in ipsum Entis defectum, Pulchre ex Thoma Ficinus: Malum non ponit aliquid per seipsum, ut sit existens (sic enim foret bonum) neq; pro fundamento potest habere nihil simpliciter (nihil enim non potest fingi malum, id est, aliquid adversum) sed fundamentum habet in Ente aliquo, adeoq; bono, in quo videlicet est aliquid bene se habendi defectus. Et quoniam malum semper cuidam adherere putatur; & alius vero *nihili* conceptus sit; adherere item, à substantia sit alienum,

ideo malum fertur habere conditionem quandam à substantia diversam potius, quam quod *nihilum* dicitur.

Th. 9. Remotis ijs, quibus aliqua differunt ab invicem, etiam differentia & oppositio tollitur, & sunt *unum*. Differentiæ autem quibus differunt, virtus & vitium, sunt bonum & malum. Ergo.

Th. 10. Non ex eo, quod justus & injustus sibi adversantur, etiam justitia & iniustitia adversa sunt: sed econtra potius.

Th. 11. & 12. Movet dubitationem de ijs, quæ non habent ex sua natura, ut contrariantur bono, quales sunt perturbationes. Contingit enim & secundum virtutem irasci, amare &c. Sed contrariantur ei quatenus sunt inordinatæ: ut tamen inordinatio hæc non sit de essentia illarum. Pugnam vero rationis & appetitus hoc modo expende: quod, ut sensus determinatus ad singularia, respicit *hic & nunc*: ratio autem rem ipsam in se, à differentijs hinc liberatam, æstimeret; ita quod sensus bonum affirmet, id ratio tale neget. pugna itaq; hæc est: & ex hac necesse videtur dari aliquod malum, bono contrarium. Bonum enim non adversatur sibi ipsi: nec minus bonum, majori: perinde ut nec minus calidum, & frigidum, illi quod magis tale. Nimirum ea parte qua calidum aut frigidum est. Quia ergo bonum non repugnat bono; id quod repugnat bono, erit malum. Sed perturbationes pugnant contra rationem. Ergo malum erit aliquid.

Th. 13. 14. 15. Distingue Per se & per accidens. Corruptio tantum corrumpit, & malum male facit per se; per accidens autem generat & facit bonum. Ita in naturalibus, ignis per se generat ignem; per accidens corrumpit aërem. Et conjungitur hæc forma ignis, quæ est bona; & privatio formæ aëris, quæ mala. Quod autem ignis generat ignem, non inde est, quia caret forma aëris, sed quia habet formam ignis. Corruptum autem aërem, quatenus formæ ignis, adhæret privatio formæ aëris. Ita in moralibus, adulterium corrumpit bonam actionem, quatenus caret ordine debito; (hoc pertinet ad malum) at quatenus est delectabilis actio, pertinet ad rationem boni. Sic ergo malum per se est corruptivum: per accidens vero generativum. Per se, neq; existens, neq; effectivum existentium: sed per accidens: videlicet propter bonum in quo hæret.

Th. 16. Profundius solutionem datam rimatur, 1. differentiam ostendens boni & mali. 2. Universam Boni virtutem declarat in *essendo*, & in eo, quod est magis vel minus bona facere; & magis vel minus existentia. In primo ergo distinguit Bonum à malo: & declarat, quid malo, deinde, quid Bono conveniat. Et quia dixerat, malum generare quatenus bonum: hæc docet, non propterea idem esse bonum & malum: nec distinctionem inter ea esse, quasi eadem res secundum unam rationem sit bona, secundum aliam mala. Sed quippiam realis quasi distinctionis instar hæc intercedere, nimirum quod eadem res, quantum habet *de esse*, sit bona; quatenus vero perfectione debita privata, mala.

Th. 17. Hæc

Th. 17. Hic cavet, ne quis existimet, malum seorsum inveniri à bono, per se quasi existens. Est enim in bono, tanquam subiecto.

Th. 18. Assertionem hanc sunt. 1. Bonum esse universalem causam bonarum rerum. 2. Quaedam perfecte bona fieri, quaedam imperfecte. 3. Modum vero huiusce rei esse, secundum participationem boni, & remotionem mali ac corruptionis. Bonum enim dum perfecte non participatur, iam admiscetur quasi malum. Divina quidem bonitas, universa pervadere dicitur, dum scilicet omnibus sese communicat similitudine bonitatis suae, eisque vestigia relinquit. In materialibus obscuratur ejus boni fulgor, obscuritate materiae.

Th. 19. (Si enim) diversitatis effectuum, ratio alia in causis per modum naturae agentibus, alia in liberis. In illis ratio diversitatis, est ex diversa proportione materiae, v. g. dum ignis lutum indurat, ceram liquefacit. In his vero partim ex fine, partim ex diversitate materiae, quam assumit, prout fini accommodum est. Si unus tantum fuisset gradus bonitatis in omnibus, universum non fuisset differentijs suis completum: & angeli in eodem forent gradu cum materia.

Th. 20. Privationem sui roborat, dum malo subiectum aliquod largitur, quo sine, malum esse non potest.

Th. 21. Adversari non possent, nisi agerent, nisi existerent. Existunt autem boni munere, nimirum subiecti.

Th. 25. Concupiscentia mala, privat ordinem rationis; & non ponit aliquid esse, sed non esse.

Th. 26. Is etiam qui iudicio corruptus, pessimam vitam desiderat, eam pro bono habet, & quo ad ipsum desiderij motum, à bono non est prorsus alienus.

Th. 28. Quia ergo malum, non est totaliter sine bono aliquo; quod per corruptionem unius fit generatio alterius, non est ex parte mali, sed ex praesentia boni imperfecti. Ita morbus est defectus ordinis, id est, proportionis humorum. Manet tamen aliquis ordo, nempe zgritudo; quae ratione illius ordinis cui inhaeret, & est aliquid & corrumpere potest, v. g. per calorem excedentem vel deficientem.

Th. 29. Cum ens, quatenus ens, bonum sit: eadem quae essentiae, erit & bonitatis ratio. Ita caecus, qui est homo non videns; quatenus est homo, & participat de esse, eatenus & bonum. At quatenus ab eo quod est perfecte existens, deficit, malo participat, & non ente.

Th. 31. Quod partim bonum, partim malum, contrariatur non bono in universum, sed alicui: quia non deficit universaliter à bono. Malum etiam illud particulari bono oppositum, retinet aliquam participationem boni, ratione subiecti. Sicut autem subiectum entis particularis continetur sub ente in communi; ita nil obstat quo minus bonum communiter sumptum, sit subiectum privationis boni alicujus particularis.

Th. 31. 31.

Th. 32. Si malum est in aliquo bono imperfecto; si bonum illi totaliter subtrahatur, non potest manere *malum*.

Th. 33. Tunc solum potest esse *malum*, quando respectu quorundam bonorum est malum, quibus opponitur; sed ab alijs bonis distinguitur, ut bonum à bono. Opposita in aliquo saltem convenire est necesse.

Th. 34. Omne existens causatur à bono. Et omnis causa similem sibi edit effectum. Ergo in omni existente invenitur bonum. Omne autem quod in aliquo bonum est, continetur utiq; sub bono, ut omne animal sub animali. Omne ergo subsistens continetur sub bono. Et malum hac ratione vel non erit aliquid in aliquo existente, vel erit in bono. At non est in bono. Ergo non est in existente. Minor probatur 1. quia nullum contrariorum, est in suo contrario, 2.

(Th. 35.) Si malum est aliquid in Bono, ut subiecto: cum omne accidens causetur vel ex subiecto, vel aliquo extrinseco; malum causabitur vel ex subiecto, ut accidentia alia: (Et sic malum erit ex bono:) vel ab extrinseco: de quo quæro an bonum? &c.

Th. 37. Si bonum malumq; considerentur, ut duo contraria per longam distantiam pari lance distincta, neutrum potest vel ex altero esse, vel in altero. Binarium autem hunc contrariorum numerum, cogimur ad superiorem referre aliqujus principij unitatem. At nequeunt illa duo ex uno quodam autore proficisci immediate. Alioquin, cum neq; casu possint ita invicem distingui, neq; secundum eandem rationem ab uno eodemq; fieri proxime, differentes cogemur in principio illo uno ponere rationes contrariorum inter se absolute distinctas, per quas, non casu aliquo, sed naturaliter aut consulto possint repugnantia illa proficisci simul.

Th. 38. Res plana ex disp. contra Manichæos.

Th. 39. Deus pacis autor, pacem per omnia diffundens, conciliat omnia & continet. Et hæc, sicut ab uno principio procedunt, ita ad unum bonum ordinantur omnia: ut videre est, si quis ab extremo exorsus, redeat ad primum, gradatim ad melius, perfectius simpliciusq; ascendendo. Necesse enim ad unum tandem pervenire *simplicissimum*, optimum, perfectissimum, idq; illatum & prorsus imperturbatum. cui contrarium aliud esse non possit. Quælibet etiam in mundo contraria, videmus in unum certa quadam proportione conciliari. At hæc concordia, nequit vel ex discordibus vel multis principijs, vel ex autore multiplici provenire. Principium ergo unum & simplex; à quo unio hæc, unitatis videlicet & bonitatis opus. Ipsa namq; bonitas, dum seipsam unam diffundit in omnia per processum amicam & singulis convenientem; per infusum etiam appetitum boni, & invicem inter sese, & ad seipsam omnia revocans, in unam seriem, actionem & formam mirabiliter omnia colligit.

Th. 44. Angelus annunciare dicitur bonitatem divinam: perinde ac si dicam, aërem præclare illuminatum annunciare solis fulgorem. Quod enim primum & quoad

quoad causam ipsam in sole, id quasi participatione est in aëre. Et quia, quod participatione & secundo aliquid habet, est imago ejus, quod primo & causaliter illud obtinet; hinc angelus imago primi boni, & speculum quasi. In speculo autem duo sunt; substantia, & aptitudo ad imaginem recipiendam, ad quam puritas, simplicitas &c. pertinent. Hæc in angelo etiam reperiuntur: Itaque receptio imaginis apte conficitur, non Deitatis tamen ipsius (quæ creaturæ repugnat) sed (ut loquitur) Deiformitatis, seu hujusmodi imaginis, quæ excellens quidem, at non tota. Ex his promptum est, quomodo angelus manifestet divinum bonum. Recipiendi enim divinam illam pulchritudinem, fit ut in ipso illud (speculi exemplo) resplendeat &c.

Th. 47. Dæmones mali quidem, at naturaliter mali non sunt, (1.) quia à Deo causari (2.) & in numero Entium sunt (3.) semper tales fuissent: cum, quod naturaliter alicui competit, semper adsit (4.) aut naturaliter mali essent Vel sibiipsis & sic corrumpent seipsos, quod non; quia nihil est corruptivum sui ipsius (secundum naturam) Vel alijs. Si hoc, ergo alia corrumpent. Sed quænam illa? Ecquid substantias, aut facultates, vel actiones? At, quicquid est corruptivum alterius secundum ordinem naturæ, non est malum naturaliter (conservat enim eo ipso naturæ ordinem.) Sed si malum corrumpit substantiam, non facit hoc præter naturæ ordinem. (non enim corrumpit incorruptibilia, sed ea quæ ad corruptionem sunt idonea.) Ergo.

Th. 49. Quod naturaliter est tale, est etiam simpliciter tale, & respectu cuiuscunq; est tale. Ergo naturaliter malum, erit tale simpliciter, etiam respectu sui ipsius. Existentiæ vero quicquàm non corrumpitur per malum, quoad essentiam, (hæc enim manet) sed, quod proportio ordinis &c. debilitatur, vel turbatur: sic tamen ut semper aliquid maneat. Subjectum enim si & ipsum destruitur (quod fieret in corruptione totali) ubi manebit malum? Quicquid ergo iudicatur male se habens, habet cum aliquo defectu bonum.

Th. 52. Sunt mali, non secundum naturam; sed quoad defectum boni: qui defectus in illis est, non ex variatione ipsius boni, sed ex voluntate libera.

Th. 55. Omne quod alicui naturaliter est subjectum, habet in eo bonum. Si illi subjectum recte maneat (v. g. appetitus sensitivus in homine, si imperium rationis sequatur) omnis autem voluntas & angelorum & hominum est naturaliter Deo inferior & illi subjecta. Ergo eorum bonum est, ut in omnibus à divina voluntate regulentur. Aversio ergo ab hoc bono, est malum. Deinde vero omnis appetitus deficiens à sua regula, tendit in suum objectum ultra quàm rectum sit. Ita factum, ut dæmones ab illa regula deficientes appetent, quod excedebat conjunctionem eorum. Omne autem quod natum est finem aliquem consequi determinato modo, si ab illo modo recedit, (is autem hæc erat ad regulam divinæ voluntatis) excidit suo fine, & perfectione, manetq; imperfectum, Ergo & impotens.

Th. 56. Pla-

Th. 56. Platonium quid sapit, de animalibus corpore aëreis, de quo alibi.

Th. 57. Averunt voluntarie suum intellectum ab inspectione boni, quare-
mus nolunt illud sequi: & desiderant malum ac *non ens*, eo quod desiderant
bonum cum defectu debiti modi & ordinis. Marfil, Dæmones, postquam volun-
tatis affectum non ad divinum solem; sed ad se penitus converterunt, etsi beato
illo divini solis lumine orbat, naturales tamen quibus naturalia videant radios
retinuerunt. Et hoc sibi conservare studentes, bonum appetunt.

Th. 59. Anima non est mala, eo quod corpori juncta, passionibus ejus affi-
citur, & ad ordinem reducere studet. Hoc enim est bonum. Mala autem sunt
animæ, quatenus deficiunt à bono, tum quoad habitum, tum quoad actum. In-
firmatæ autem ex defectu boni, debitum finem consequi non possunt, sed pro-
labuntur ad aliquid fini contrarium. *Ficinus hoc modo*, Cum in ipso bono,
omnium principio, sit summa omnium providentia, consequens est, ut angeli ani-
mæ; ex ipso proxime dependentem naturalem quandam ad frequentia, providen-
tiam habeant. Sed angeli quidem movendo provident. Animæ vero vivificando
primùm; deinde & consultando. Cum igitur id totum providentia: munus & ex
bono sit, & imitatio boni, est proculdubio bonum. Non igitur malum est ani-
mæ sic adesse malis, hoc est, deterioribus, ut vel naturali vel voluntario beneficio
hæc afficiat. Ut ergo nocturnus aër dicitur tenebrosus, non quia vel rem novam
subeat, vel naturam suam amittat, sed quia deest ei solis lumen: ita anima est
quia deficit à mala, beneficio Dei mutere & ordine debito.

Th. 65. Non disceditur ab ordine alicujus naturæ, nisi aliquo in contrarium
agente. v. g. ab ordine sanitatis, per actionem calidi aut frigidi. Sed universali
naturæ subordinatæ sunt omnes potentie activæ, & actiones, & ab ea dependent.

Th. 66. Igni v. g. secundum naturam est, moveri sursum; moveri autem
deorsum, est illi non secundum naturam: quod lapidi tamen est secundum natu-
ram. Malum autem esse alicujus naturæ, nihil aliud est, quam præter naturam
esse, id est, privari aliquo naturali.

Th. 70. Plana res, qui verum modo amat, & videre potest, & Aristotelem
hic non aspernatur duces. Materia sub forma existens, habet formæ participa-
tionem, quoad esse substantiale; & pulchritudinis, quoad commensurationem,
ac decorem, &c. In se autem considerata, (quasi carens omni forma & qualita-
te) non est *primum malum*; hujus enim est, facere omnia mala. Ad materia sic
nihil facit, uti constat, Occasio vero mali aliquid esse potest, quod tamen in se
bonum. Et licet materia instabilis sit, consequentiam rationis & ordi-
nem in universo habet, formis necessaria est,
adeoq; bona.

Malum per se, neq; est causa, neq; causatum: Ergo. Ex be
Naturalis enim cuiusq; agentis intentio hac, simile sibi
Nec unum contrariorum, est causa alterius per se. Per
dens etiam calidum, est frigidi causa. Quod autem esse
tium numero est, ejus debet esse causa per se.

Th. 4. Quod est de propria ratione boni, non pote
producere & salvare, est naturale bono, ipsaq; generatio
na est; E.

Th. 5. Quicquid est ipsa sua essentia tale, id etiam ta
Et e contra. v. g. si aliquid sit per essentiam bonum, erit
ipsa bonitas. Quicquid enim participat bono, dividitur
patum; adeoq; totaliter bonum non est. Quae si ad
bit, siquidem *malum* non est essentia vel quid per se existe
lum dicitur, (v. g. diabolus,) non erit totaliter malum, se
net boni, quatenus videlicet obtinet essentiam. Et sic qua
tione, seu quatenus ens, bona est: mala autem quatenus
toties à Sanctis patribus inculcatum, malum esse in bon
physice vel moraliter aded malam esse & denominari, qu
na non fit.

Th. 6. Et sic aliqua res, per naturam bona, per de
optare potest. Omniaq; per appetitum convertuntur ad
malus (inquit Orator) ut esse velit. Et Seneca: Nemine
quiritæ præmijs sine nequitia frui velit. Optabit ille, cui
percutere quæsus est, potius illa invenire quam eripere.
illos honesti, & per se expetendi amor, cogeret moribus si
riam quarere. & nequitiam abdere, cujus fructus concup
pudoriq; est. &c. Hoc argumento nobis fit, ex Bono, en
Ideoq; bonum, esse universo Ente superius; quemadmodu
corpora, non est corpus, ut hîc ex Schola Platonica loquitu
Anuat Dionysius. Sed anne tum quod est super omnia *una*
esse unum & bonum?

Th. 7. & 8. De primo Bono, cum dicitur *Non ens*, ne
nationem quandam mente resolvimus: nempe quod fit
rius. At cum de malo prædicamus *Non ens*, negatio resolv
fectum, Pulchre ex Thoma Ficinus: Malum non pot
ut sit existens (sic enim foret bonum) neq; pro fundament
lum simpliciter (*nihilum* enim non potest fingi malum, id
sed fundamentum habet in Ente aliquo, adeoq; bono, in
quis bene se habendi defectus. Et quoniam malum sem
putatur; & alius vero *nibili* conceptus sit; adharere item, à

A 3

